



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Roberti Tvrneri Viri Doctissimi Professoris In Academia  
Ingolstadiensi Orationvm. Volvmen ...**

**Turner, Robert**

**Coloniae Agrippinae, 1625**

Magnifico, Illvstri, Generoso Domino, D. B. Berchtoldo, Libero Baroni à  
VVolckenstein, Domino in Trostpurg & Neuhausen, &c. Celeberrimae Et  
Catholicæ Academiae Ingolstadiensis Rectori.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69519](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69519)





MAGNIFICO,  
ILLVSTRI, GENEROSO  
DOMINO, D. BERCHTOLDO,  
Libero Baroni à VVolcken-  
stein, Domino in Trostpurg  
& Neuhausen,  
&c.

CELEBERRIMAE ET CATHO-  
lica Academia Ingolstadiensis  
Rectori.



MAGNIFICE Rector,  
Vidimus te eodem  
die, & in clarissimo  
honoris habitu, &  
in pulcherrimo virtutis ornatu.

A 2

Hæc



## EPISTOLA

Hæc verba gratulationis quid  
ni liceat vsurpare? cùm & virtu-  
tem & eruditionem tuam Aca-  
demia Ingolstadiensis voluerit  
ornare eo honore ; quem Sere-  
nissimi aliquot Principes sibi ob-  
latum ita acceptarunt , vt hoc  
virtutis , & eruditionis testimo-  
nio se ornatos esse lætarentur.  
Quo & tu lætari potes : Et qui-  
dem hoc etiam nomine , quòd  
cùm anno 1577. Magnificus  
Rector fuerit Illustris & Gene-  
rosus Dominus IOANNES à  
VVOLCKENSTEIN, tu  
tamen verum esse probas, quod  
quidam ait , honorem in mul-  
tos collatum , veluti fluuium in  
multos alueos diductum , ite-  
rum



## DEDICATORIA.

rum vi sua in vnum confluere. De quo, si omnium sensui satisfacere vellem, prolixè hic gratularer. Sed malo meo sensu id breuiter facere, & quidem non meis verbis. Quod enim ille Traiani Imp. ocellus Plinius Secundus Traiano, hoc ego tibi: Omnis gratulatio voto obfignanda est, quod est, vt honor iste tibi, & honori isti tempus, quàm longissimum accumulatur; vt habeat virtus & eruditio, quò longè procurrant: nescit enim semel incitata virtus stare, cuius pulchritudinem vsus ipse commendat. Obsignata sit hæc gratulatio hoc voto & hoc dono, quo offero tibi.

A 3 TUR-



EPISTOLA

TURNERI posthuma : ita enim placuit appellare ea quæ in sparsis & male habitis schedis, post mortem reperta sunt : multa sine nomine eorum ad quos scripta erant. Quare tanti viri quicquam perire, censui ego iniuriam esse in publicum bonum literarium. Quod Plinius de scriptis Augurini, hoc ego de his Turneri : *multa sublimiter, multa venustè, multa tenerè, multa dulciter, multa cum bile. Aliquot annis puto nihil generis eiusdem absolutius scriptum, nisi forte me fallit amor eius.* Et ut eiusdem Ep. ad Maximum, verbis utar : *Est opus pulchrum, validum, acre, sublime, varium, elegans, purum, figuratum, spatiosum etiam, & cum magna tua laude diffusum.* Cum tua, inquam, laude, **MAGNIFICE**  
**RE.**



## DEDICATORIA.

RECTOR, non tam quòd hæc  
Turneri tua tibiq; dicata sunt,  
quàm quòd laudes continent ad-  
modum Reuerendi & Magnifi-  
ci Domini PETRI STEVARTII,  
tui iam Vicereactoris, & cui in  
Reactoris dignitate successisti. Si  
enim laudes antecessorum in suc-  
cessores aliquo modo redun-  
dant, tua est laus illius, qua il-  
lum Turnerus Epistola 34. ad  
Thomam Golduellum Episco-  
pum Assaphensem ornat. Equi-  
dem Turnerus totus Reactorum  
Ingolstadiensium est, vt qui  
vuius Steuartium, toties Reacto-  
rem, ita amicè & prolixè laudat,  
etiam mortuus te Rectorem ve-  
lit laudare. Laudi enim ducere

A 4 potes



EPISTOLA

potes, quod laudatissimus & celeberrimus vir suorum posthumorum patronum habere vult te, tuumque nomen: illustre sane nomen ex illustri familia, ex qua tot Europa heroes vidit. Cui enim ( vt vnum è multis nomen ) ignotus est VITVS à VVOLKENSTEIN, Eques aurei Velleris Maximiliano I. Imperatori in summis bellorum periculis tam fidus, tam promptus manu & consilio? Odomarifanum non potuit recipi, donec SIGISMUNDVS Tyrolensium Princeps militem ex Tirolis collectum, duce VITÒ à VVOLKENSTEIN, submitit. Ille hoc arduum & plenum  
 cruen-



## DEDICATORIA.

cruenti discriminis negotium in se recepit, & pænè sine sanguine confecit. In hac alijsq; à Comminæo prudentissimo historicorum descriptis expeditionibus tam sub MAXIMILIANO I. quàm alibi VITVS à VVOLKENSTEIN primus fuit, vt scribunt Guicciardinus, & Gerardus de Roo diligens & elegans scriptor rerum Austriacarum. Talia multa possem ex historijs promere in laudem tuæ Illustris gentis, sed fileo; & cum Mamermino ( in Genethliaco Maximiani & Diocletiani ) *nouam mihi propono dicendi legem, vt quum omnia videar silere, quæ summa sint, ostendam tamen inesse laudibus vestris alia maiora. Quæ igitur illa? pietas vestra*



EPISTOLA

*atque felicitas.* Vestra, dico, dum  
 simul nomino Illustrrem Domi-  
 num P H I L I P P V M R V-  
 D O L P H V M C O M I T E M  
 à L I E C H T E N S T E I N:  
 amitini enim estis, & simul eo-  
 dem læto & felici progressu in  
 studiorum tractatione, non sine  
 laude & nominis vestri com-  
 mendatione versamini. *O annum*  
*lætum!* exclamabo verbis Plinij.  
*quid enim publicè lätius, quàm cla-*  
*rissimos iuvenes nomen & famam ex*  
*studijs petere?* Deus Opt. Max.  
 tuas, Magnifice Rector, ani-  
 mi corporisque dotes, quas  
 tam eximias tibi contulit, eas  
 semper augeat. Et liceat mihi  
 hanc gratulationem nouo voto

TRA-



DEDICATORIA.

TRAIANI Imp. obſignare:  
*Precor, Deus, beneficijs tuis faueas,  
tantisque muneribus addas perpetui-  
tatem.* Vale Ingolſtadij 17.

Auguſti Anno

1602.



CAR-